



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad  
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae  
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa  
Confessio**

**Cutsemius, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1621**

De Principibvs Electoribvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11884**

infœlice coniugio sine prole viuere cernebat, & mori timebat, qualiter Imperium à Græcis ad Germanos gratiâ, & authoritate Apostolicâ translatum, perque hæredum generationes, atque successiones, bono tempore annorum scilicet ducentorum propagatum, posthac per liberæ Electionis vota Ecclesiasticorum simul & Laicorum Imperij Procerum, Principibus Germaniæ permaneret. Et placuit Ottoni sententia. Vnde Gregorius Papa V. à multis scriptoribus cæpit haberi author Septemuiratus qui est in Imperio: à nonnullis verò iste Imperator Otto, quia constat inter omnes communi vtriusque ope, & opera; consilio vnius, & consensu alterius, rem tantæ molis, & nouæ consuetudinis constituendi Caput Imperij feliciter pactam, & peractam esse.

---

DE PRINCIPIBVS  
ELECTORIBVS.

TAMEN si quis distinctè de Septem Imperij Electoribus ijs, quos firmavit Aurea Bulla loqui velit, meâ sententiâ neuter, neq; Gregorius, neque Otto constitutionis, & sanctionis istius primus author dici potest. Persuadent hoc mihi rationes, quas etiam Onuphrius pro sua tangit opinione in libro de Comitibus Imperatoribus, quæstionem  
illam

illam magno studio pertractans : nimirum primò, quòd nullus ex Scriptoribus, qui temporibus illis aut proximè vicinis vixerunt, Ditmarus, Herm. Contractus, Bertoldus, Lambertus, Marianus, Sigebertus, Gratianus, qui tamen diligenter omnia Pontificum Decreta, & sanctiones consignavit, Otto Frif. Contr. Urspergensis, aliufve; nullus inquam omninò Decreti, siue ordinationis istius vel verbo mentionem faciat. Secundò, quòd ipsa praxis, quæ ex tunc subsecuta est, & vulgò optima solet dici legum, & constitutionum interpres, ad oculum ostendat Electiones Regum Romanorum à S. Henrico, qui primus per libera Germaniæ Procerum vota electus, Ottoni III. immediatè successit, usq; ad Diuæ Mem. Rodolphū Habsp. Cæsare Augustū exclusiue, non à septem duntaxat Principibus, & præcisè ijs, qui hodie soli eligunt, sed ab ijs, & alijs, & sæpè à multò pluribus, etiam inferioris ordinis Statibus, ab Abbatibus, & Comitibus, alijsq; in vtraq; Germania Baronibus fuisse peractas : quod non grauatè exemplorum omnium inductione palam ipse faciam.

\* \*  
\*

F 3

QUALI-